W f 1725

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731640-p0001-7

III, 16.

216.

III, 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731640-p0002-3

DE

SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM MERITIS

PROGRAMMA. VIII

QVO

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI

FRIDERICI. III

DVCIS. SAXONIAE

IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. ET. WESTPHALIAE
LANDGRAFII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS
HENNEBERGAE. COMITIS. MARCHIAE. ET. RAVENSBERGAE
DYNASTAE. RAVENSTEINII. ET. TONNAE

PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI
LONGE. CLEMENTISSIMI

PATRIS. PATRIAE. OPTIMI

D. VII. KAL. MAII. cIↃIↃCCLVI

FAVSTISSIMO. SIDERE. REVERSVS

NATALIS. EXOPTATISSIMVS

CRAS. AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. IV
IN. MAIORI. ILLVSTR. FRIDERICIANI. GYMNASII. AVDITORIO
DEVOTISSIME. CELEBRANDVS
INDICITVR

ET. SIMVL

PERILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. GENEROSISSIMI
ILLVSTRES. PRAECELLENTISSIMI. AMPLISSIMI
AVLAE. ATQVE. VRBIS. HVIVS. PROCERES
MAECENATES. MAXIMI
CVRATORES. GYMNASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI
RELIQVI. OMNES. REI. SCHOLASTICAE. FAVTORES
O. O. HONORATISSIMI

VT

QVINQVE. OPTIMAE. SPEI. PROBATISSIMOSQVE. IVVENES
SELECTAE. CLASSIS. CIVES
PVBLICE. VERBA. FACTVROS. ET. VOTA. NVNCVPATVROS
INDVLGENTER. AC. BENEVOLE. AVDIRE. VELINT
DEMISSE. DECENTERQVE. ROGANTVR

A

M. IOANNE. GOTTFRIDO. MOERLINO
ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTORE
LAT. IENENS. SOCIET. COLL. HONOR.

ALTENBVRGI
LITTERIS. PAVLLI. EMANVELIS. RICHTERI

23

Duo reſtant Sacrorum Antiſtites et rei noſtrae ſcholaſticae Inſpectores Primarii, qui SERENISSIMIS. FRATRIBVS. FRIDERICO. GVILIELMO et IOANNE clauum tenentibus et reipublicae gubernacula tractantibus, aemula fidei anteceſſorum dexteritate ſacris Principatus Altenburgici praefuerunt, IOSVA. LONERVS et BALTHASAR. MVLLERVS.

LONERVS (*a*) Oelſnitii Variſcorum Anno cIↃIↃxxxv, patre verbi diuini Miniſtro natus, poſt abſoluta Wittenbergae ſtudia academica, ſcholaſticis muneribus Numburgi & inde Thomabrucci ad Oneſtrum functus, inſtituendae iuuentutis ad annum vſque cIↃIↃLXI experimentum ceperat, hinc ad Diaconatum Weiſenſeenſem, inde cIↃIↃLXIX in Franconiam vocatus, iam Bibrenſis, iam Themarenſis, tandem Meinungenſis eccleſiae Paſtor euaſerat. Meinungenſi cum per ſexennium praefuiſſet atque in ſacris baptismalibus adminiſtrandis exorciſmi formula, in ſacrae autem coenae conſecratione cantandi conſuetudine abſtinere noluiſſet, Ordrufium migrare iuſſus, inde, triennio interiecto, Arnſtadienſium Praeſul factus, diſceſſerat. Arnſtadio Vinariam, vt aulae eſſet a ſacris concionibus, cIↃIↃLXXXIIX euocatus, Gregorio Strignicio ſucceſſiſſe dicitur, neque eſt, quod in dubium vocemus hunc annum, cum Strignicius ad mandatum AVGVSTI Electoris, aulici Concionatoris munere cIↃIↃLXXXI ſuſcepto, poſt ſeptem fere annos Ienam ad Paſtoris et Superintendentis munus vocatus ſcribatur (*b*) licet in ipſius Strignicii mutationum interuallis diſpungendis ratio non ſatis facile conſtare videatur. Sed ad LONERVM redeo. Hic d. XVII. Kal. Iul. cIↃIↃXCII Altenburgenſium ſacrae et ſcholaſticae rei praefectus, poſt anni intercapedinem Ienae Doctoris Theologiae gradum adiit, donatus ad eum finem a SERENISSIMO. FRIDERICO GVILIELMO centum imperialibus (*c*). Magno ſemper animo Caluinianorum doctrinis et molitionibus reſtitit, quanquam non per integros tres annos, XVI Kal. Iun. cIↃIↃXCV vita functus, eccleſias Altenburgenſes rexit. Ex ſcriptis ejus, mihi quidem, duo occurrerunt: *Methodicae diſpoſitiones Euangeliorum dominicalium, hoc modo elaboratae, vt praecipuos Chriſtianae religionis articulos, neruoſa breuitate expoſitos, contineant, praelectae in ſchola Arnſtatenſi a M. IONA. LONERO, Paſtore et inſpectore, Anno cIↃIↃLXXXVI*, cui libello non vulgari ornamento eſt Programma metricum Iohannis Borneri Cancellarii Suartzburgici, in quo ſub finem fere haec leguntur:

Gratulor ergo tuis, VIR præſtantiſſime, cœptis,
Quod dotes animi et linguae ornamenta diſertae
Numinis ad laudes et publica commoda vertis:
Nec tantum diuina doces oracula viuo
Eloquio populum, qui pendet ab ore loquentis,
Neſtoris vt quondam mirata eſt Graecia linguam:
Sed magis, vt diſcant ventura in ſecla nepotes
Verbaque doctrinamque DEI, quae ſola beatos
Efficiunt, eadem ſtudio explanata fideli
Committis calamo et viuacibus omnia ſcriptis,
Multum diſſimilis noſtri ſcriptoribus aeui,
Qui turpem quaeſtum, laudem, vel munera ſpectant,
Inuidiae ſtimulis prauisque affectibus acti,
Irarum ampullas et ſeſquipedalia verba
Et cum fulminibus lapidem iaculantur in hoſtem,
Aſpera turba, ferox coeco temeraria faſtu,
Quae fatale gerit violento nomen ab ESAV,
Aut probat arguti fucata emblemata CALVI.
Tu vero, ſtudioſa cohors, dilecta iuuentus,
Saepius hunc librum peruolue, reuolue, legendo:
Crede mihi, liber hic prodeſt, vel proderit olim.

Alterum opus eſt *Explicatio Euangeliorum et Epiſtolarum dominicalium*, ſiue Poſtilla, quam anno cIↃIↃXCII Vinaria nondum digreſſus, ſed Altenburgum iam vocatus, MAGNO et GEORGIO fratribus Ducibus Brunſuicenſibus et Luneburgicis, Ienae tum ſtudiorum cauſſa commoratis dicauit. Plura inuenire non contigit. Hunc eodem, qui LONERO emortualis fuit, anno cIↃIↃXCV. d. VI. Id. Septembr. excepit vir egregie cordatus et doctus.

BALTHASAR. MVLLER Smalcaldae cIↃIↃLVII. d. IV. Id. Septembr. natus, Ioannis Mulleri Concionatoris in aula Hennebergica filius. Guſtauerat etiam hic

(*a*) Conf. IO. MVLLERI Schediaſma de Altenb. Eccl. Praeſulib.
(*b*) Conf. CHRISTOPH. HENR. LOEBERI Hiſt. Eccl. Ephor. Orlamund. p. 180.
(*c*) IO. SEB. MVLLER Annal. p. 210.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731640-p0004-4

hic labores ſcholaſticos, prius quam Sacris muneribus admoueretur, per annos ſeptem, initio quidem ſcholae prouincialis Viennae Auſtriacae Collega per triennium, deinde, in patriam redux, Schleuſingenſis ſcholae Conrector per annos quatuor. Ex ludo litterario in ipſam Eccleſiam transgreſſus, Frauenbreitungenſes in Franconia per ſeptem annorum ſpatium docuerat, poſtea Citizenſes, tres fere annos. Acceptis anno cIↃIↃXCIV. vna cum Conrado Schlüſſelburgio Ienae Doctoris Theologiae inſignibus, anno et die ſupra iam ſcriptis, Altenburgum venit, Ephorique partes omni virium contentione expleuit, verum non vltra quinquennium, die nimirum VIII. Id. Iun. cIↃIↃCX. praematura morte exſtinctus. Mortalitatis exuuiae in Coemeterio publico depoſitae ſunt, monimentum vero ſepulcrale in templo a Reſurrectione cognominato, ſacrarium ingreſſuris occurrit. Quantam libris ſcribendis impenderit operam, ex iis patet, quorum tituli in Lexico eruditorum indicantur, in quibus *Diſpoſitiones Concionum ſuper Catechiſmum Lutheri*, CHRISTIANO. II. Saxoniae Electori inſcriptae, Altenburgi concinnatae ſunt.

Male vrbis huius praeteriturus eſſem SENATVM. AMPLISSIMVM quem ab ipſis ſtatim ſcholae initiis inſpectioni aduigilaſſe, inde colligendum eſt, quod huic Ordini IOANNES Elector anno cIↃIↃXXVII eo conſilio Franciſcanorum illud coenobium, quod nunc FRIDERICIANVM eſt Gymnaſium, donauit, vt muſarum fieret domicilium. In Volumine illo, quod beati Foerſteri, viri in eruendis antiquitatis monimentis infatigabilis, manu ſcriptum in Curia ſeruatur, ad annum cIↃIↃXXIX, qui natalis fuit ſcholae, ipſis Kalendis Februariis dedicatae, haec leguntur nomina: MICHAEL. ALBER. BÜRGERMEISTER. IACOB. BESTEL. STADTVOIGT. ANDREAS. WINCKLER. RICHTER. MATTHES AM. ENDE. CAEMMERER. VINCENZ. DIETRICH. BENEDICT. PLEISSNER. ANTONIVS. NEVBAR. SIMON. PLASCHKE. LORENZ. SCHMIDT BASTIAN. SAVPE. GEORG. ASMVS. VND. KILIAN. KOLDIZ. GESCHWORNE. RATHMANNE. DER. STADT. ALTENBVRG. Longum foret, omnium annorum Senatores commemorare, forte etiam diſplicuerit, ſola legere nomina: eorum igitur Conſulum Senatorumque inpoſterum mentionem tantum facturus ſum, qui iis rempublicam adminiſtrauerunt annis, quos noua rei noſtrae ſcholaſticae incrementa fecerunt notabiles. Iam non ſine dolore fateor, per totum ſeculum XVI, omnium illorum annorum, quibus aliquae acceſſiones et mutationes factae ſunt, Conſules Senatoresque in Volumine iam allegato deſiderari, quem tamen defectum, beneuolentia Senatus Ampliſſimi fretus, alia occaſione ſarcire et ſupplere vt poſſim, fore ſpero.

Nunc ad Rectores reliquosque ſcholae noſtrae Magiſtros transeundum eſt. Michaëlem Chilianum ſecutus eſt M. IOANNES. PISCATORIVS Noribergenſis. Annus ſuſcepti muneris non eſt expreſſus, probabile autem videtur eum ante cIↃIↃLXVIII, quo Wittebergae gradu Magiſterii ornatus eſt (*d*), illi admotum non fuiſſe. Zeumerus (*e*) e ſchola Altenburgica, cuius membrum fuerit, Ienam euocatum d. XVI. Febr. cIↃIↃLXXV, Philologiam et Poëſin, tandem litteras Graecas interpretatum eſſe ſcribit, ſed in ſcheda, quae inſcribitur: *Scholam Altenburgenſem docentium, quotquot antiquitus inquiri potuere, nomina*, haec leguntur: *M. Iohannes Piſcatorius, Norib. qui Ienam fuit auocatus ad Profeſſionem Poëticam 1573*, et in alia ſcheda Rectores, indicante idem annus LXXIII. exſtat, quibus vel ideo calculus adiiciendus, quod ſub auſpicium ſequentis anni LXXIV. ſucceſſor iam praeſto fuit. Plura de eo quaerendo inueſtigare non potui, niſi, quod Zeumerus narrat, eum Flacianas aedes Ienae incolentem, in eis a quodam anonymo, qui diuitiis eius inhiauerit, noctu ſuffocatum et extra portam *Lobedanam* deportatum eſſe in hortum, ponticulo tunc vicinum ad dexteram ſitum, hodie agrum.

M. IOANNES. HAVMBVRG, poſtea, HAMMERICVS, Ienenſis, acceſſit anno cIↃIↃLXXIV. Nonis Ianuariis, obiit d. XI. Kal. Aug. cIↃIↃCXIV, anno aetatis LXV. Rectoratus XL, infra iterum inter eos nominandus, qui Formulam Concordiae ſubſcribendo approbarunt.

Supremi, ſiue Conrectores in ſcheda, cui titulus eſt, *SVPREMVS, hodie Conrector*, nominantur M. MICHAEL. SONNE, olim miles, cIↃIↃLVII M. NICOLAVS. NEANDER (*) cIↃIↃLXXIV, in alia ſcheda NICANDER ſcribitur, ſed Neandri nomen in Foerſteriano etiam monimentorum volumine ſcriptum eſt, M. ABRAHAM. ROESENER. Altenburgenſis cIↃIↃXCIII.

Cantores commemorantur. IO. BECKER. cIↃIↃLVI. DAVID. KOEHLER. cIↃIↃLVIII. DANIEL. MYLICH, filius Nicolai, Paſtoris Eisfeld. poſtea Goelniz. cIↃIↃLXVI. MELCHIOR. BISCHOFF. Poeſnec. cIↃIↃLXVIII, ludimo-

(*d*) Conf. IO. CASP. ZEVMERI. Vit. Profeſſor. Ienenſ. Cl. IV. p. 39. et GODOFR. LVDOVICI. Hiſt. Gymn. et ſcholar. celebr. P. IV. p. 197. (*e*) l. c.

(*). De quo M. IO. ADAM. WEBERVS Collega olim noſter coniunctiſſimus in libro ſuo *Einleitung in die Hiſtorie der Lateiniſchen Sprache* p. 540. conferri poteſt.

ludimoderator Reichſtadienſ. vocatus Diaconus patriae LXX. Paſtor in Franckenberg LXXIV. Paſtor in Tondorf LXXIX. Paſtor Poeſnicenſis LXXXV. Concionator aulicus IO. CASIMIRI. DVCIS. COBVRG. XCVIII. Superint. Eisfeld. Superint. Coburgenſis XCIX. Huic ſucceſſit IOACHIMVS. KROENER, huic SIMON. FROBERGER. cIↄIↄLXXII. Ronneburgo arceſſitus, poſt anni ſpatium IACOBVS. NANDELSTAED. Anno interiecto PAVLVS. KOE LER, cui hoc adſcriptum legitur elogium: *Vir quidem breuis ſtaturae, ſed magnus muſicus fuit, phonaſcus et celebris praecentor tribus in aulis, Gothae, Vinariae et Guelpherbiti, vocatur Altenburgum ad obeundum Cantoris munus.*

Cetera quaſi per ſaturam dare liceat. Non quidem veriſimile eſt, vltra quadraginta annos exleges de ſchola noſtra homines, ſed omnino formulae cuidam adſtrictos fuiſſe: Primas tamen leges Illuſtre Synedrium Vinarienſe anno demum cIↄIↄLXXIII transmiſiſſe tradit Sagittarius (*f*), qui idem teſtatur, cum Rectores, Supremi et Cantores oneri ferendo impares fuerint viſi, additum anno cIↄIↄLXXVI. collegarum coetui fuiſſe Baccalaureum ſuperiorem HENRICVM. HIMMELIVM, M. Auguſtini Himmelii, ſupremi ſacrorum apud Altenburgenſes olim Antiſtitis filium. Tandem etiam hoc notatu dignum et vel praecipue Summis SERENISSIMAE GENTIS-ERNESTINAE in rem noſtram ſcholaſticam meritis accenſendum eſt, quod DIVVS. FRIDERICVS. GVILIELMVS. cIↄIↄLXXX (*g*) inſtituit, vt ſubſcriptio Formulae Concordiae continuaretur ab omnibus eccleſiarum et ſcholarum miniſtris ſucceſſuris, quo ipſo conſeruationi integritatis doctrinae euangelicae prouidentiſſime fuit conſultum. In catalogo eorum, qui librum Concordiae ſubſcripſerunt et quidem in indice *der Schulmeiſter vnd Mitgehülffen in den Schulen des Fürſtenthumbs Sachſen Weimariſchen teils* illi, qui tum Altenburgenſium in ſchola iuuentutem docuerunt, hoc ordine ſequuntur:

Ioannes Hamericus. M. Michaël Sonne. M. Paulus Kolerus. Henricus Himelius.

Nunc illud agendum eſt, quod ſine turpiſſima pietatis violatione intermitti a nobis non poteſt. Imminet SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC DOMINI DOMINI. FRIDERICI. III. DVCIS. SAXONIAE IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. ET. WESTPHALIAE LANDGRAFII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE. PRIN CIPIS. COMITIS. HENNEBERGAE. COMITIS. MARCHIAE. ET RAVENSBERGAE. DYNASTAE. RAVENSTEINII. AC. TONNAE PRINCIPIS. DOMINI. ET. PATRIS. PATRIAE. LONGE CLEMENTISSIMI. Natalis exoptatiſſimus, laetitiae et boni ominis dies merito nominandus. Celebrabit hunc noſtrum etiam inter vota deuotiſſima FRI DERICIANVM. Gymnaſium vitamque et felicitatem PRINCIPVM. OPTI MI conceptiſſimis precibus DEO. O. M. commendabit. Fiet hoc *CRAS. AV DITA. POST. MERIDIEM. HORA. IV.* Prodituri ſunt *quinque optimae ſpei probatiſſimique iuuenes, Selectae claſſis cives* CHRISTIANVS. GOTTFRIED HEVBNER. *Altenburg.* TOBIAS. BERNHARD. KAESTNER. *Gothanus.* IOAN NES. FRIDERICVS. MVDRE. *Lubbena Luſat.* IOANNES. CHRISTIANVS SCHREITER. *Altenburg.* IOANNES. FRIDERICVS. THOMAE. *Camburgenſis*, quos, vt PERILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. GENEROSISSI MI. ILLVSTRES. AMPLISSIMI. AVLAE. ATQVE. VRBIS. HV IVS. PROCERES. MAECENATES. MAXIMI. CVRATORES. GY MNASII. GRAVISSIMI. RELIQVI. OMNES. REI. SCHOLASTI CAE. FAVTORES. O. O. HONORATISSIMI indulgenter ac beneuole audire velint, demiſſe decenterque rogo.

IOANN. FRIDER. THOMAE, feliciſſimi ingenii mentisque ad virtutem laudabiliter compoſitae adoleſcens SERENISSIMVM. PRINCIPEM. PATREM. PATRIAE. INDVL GENTISSIMVM *diuinorum in SE beneficiorum pie memorem* venerabitur *Carmine Latino.*

CHRISTIAN. GOTTFR. HEVBNER ſingulari SERENISSIMI. HEREDIS. PRINCI PIS munificentia adhuc ita vſus, vt laeta de eo et laude digna lubentiſſimi ſperemus SERE NISSIMI quondam SAXONIAE. ELECTORIS. FRIDERICI. II. *magnum et placidum animum* praedicabit *Orat. Latina.*

TOBIAS. BERNHARD. KAESTNER optime moratus virtutisque et ſapientiae amantiſſimus iuuenis SERENISSIMI. ELECTORIS. FRIDERICI. I. *bellicas virtutes ex merito Electorali dignitate compenſatas* extollet *Orat. Latina.*

IOANNES. CHRISTIANVS. SCHREITER Collegae noſtri coniunctiſſimi optimae ſpei filius probitatisque ſtudioſiſſimus eundem SERENISSIMVM. ELECTOREM. FRIDERI CVM I. *Conditorem Academiae Lipſienſ.* laudabit *Orat. Germanica.*

IOANNES. FRIDERICVS. MVDRE pietatis, diligentiae et modeſtiae nomine merito nobis cariſſimus adoleſcens, DEI *Manum* SERENISSIMI. PATRIS. PATRIAE. *Conſeruatricem* canet *Carmine Teutonico.*

(*f*) M. PAVL. MART. SAGITTARIVS Diſſert. de Scholis publicis Altenburgenſium.
(*g*) Conf. CHR. HENR. LOEBERI Hiſt. Eccl. Ephor. Orlam. p. 87.

Wf 1725. 4°

VD18

ULB Halle 3
006 753 418

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731640-p0008-6

DE

SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE
IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM

MERITIS

PROGRAMMA. VIII

QVO

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI
FRIDERICI. III

DVCIS. SAXONIAE

IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. ET. WESTPHALIAE
LANDGRAFII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS
HENNEBERGAE. COMITIS. MARCHIAE. ET. RAVENSBERGAE
DYNASTAE. RAVENSTEINII. ET. TONNAE

S. AC. DOMINI. NOSTRI
GE. CLEMENTISSIMI
PATRIAE. OPTIMI
D. VII. KAL. MAII. cIↄIↄCCLVI
TISSIMO. SIDERE. REVERSVS
S. EXOPTATISSIMVS
DITA. POST. MERIDIEM. HORA. IV
TR. FRIDERICIANI. GYMNASII. AVDITORIO
OTISSIME. CELEBRANDVS

INDICITVR

ET. SIMVL

EXCELLENTISSIMI. GENEROSISSIMI
PRAECELLENTISSIMI. AMPLISSIMI
VE. VRBIS. HVIVS. PROCERES
ECENATES. MAXIMI
MNASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI
NES. REI. SCHOLASTICAE. FAVTORES
O. O. HONORATISSIMI

VT

MAE. SPEI. PROBATISSIMOSQVE. IVVENES
SELECTAE. CLASSIS. CIVES
FACTVROS. ET. VOTA. NVNCVPATVROS
ER. AC. BENEVOLE. AVDIRE. VELINT
SSE. DECENTERQVE. ROGANTVR

A

. GOTTFRIDO. MOERLINO
ERICIANI. GYMNASII. DIRECTORE
IENENS. SOCIET. COLL. HONOR.

ALTENBVRGI
LITTERIS. PAVLLI. EMANVELIS. RICHTERI

75 23.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731640-p0009-5